



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXXII. Miraculum de monstruoso Partu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

læſionis cooperator fuerat , ad prædictam pænitentiam cum alijs ſe recusans ſuſcipere , ſtatim à ſupremo Iudice ad aliam pænitentiam ſubeundam judicatus celeri morte ab hoc mundo ſublatus erat. Huius etiam Prioris tempore , quo Monasterium rexit Bøddecenſe , Monasterium Neuſſienſe de Reformatis Regularibus , ſub quo tunc Monasterium B. MEINULPHI cum nonnullis numero decem conſtitutum erat , Capitulo Windefemenſi , prout antea diu deſiderabatur , ad perpetuam Colligationem iungebatur.

C A P U T XXXI.

De Translatione ejus ad ſuum proprium Monasterium.

Postquam præfatus Prior B. MEINULPHI Monasterium in quintum annum laudabiliter rexerat , ac ipſius inveſtitionis domus B. Catharinæ Virginis propè Novimagium ſituatum , proprio Paſtore viduata fuit , eadem domus ipſum ad ſe revocans , in Priorem ſibi , prout licuit , prælegit , ubi dum aliquantulum tempus exegerat , in regimine , jam ſenio conſectus ac viribus deſtitutus ultimum clauſit vitæ ſuæ diem , perventurus , ut piè creditur , ad Dominum DEUM , qui omnem diem fecit & conſtituit.

C A P U T XXXII.

Miraculum de monſtruoſo Partu.

Audiatur nunc res geſta multum auditui horrenda poſtquam enim prædictus Prior bonæ memoriæ , dum adhuc in vita erat , & de Monasterio B. MEINULPHI ad ſuum proprium translatus fuerat , & nondum Canonix Bøddecenſi de novo Priore proviſum erat , quidam Militaris Diæceſis Paderbornenſis nec DEUM timens nec homines reverens porcos Regularium violenter abegit , & ad Caſtrum ſuum ducens eoſdem maſtari fecit. Quo peracto Uxor ejus vicina partui quoddam monſtrum in aliqua ſui parte ſimile porco parturiſt , ſicut una de obſetricibus , quæ præſentes

K 2

erant ,

erant, nonnullis postmodum referebant; præfatum inquam monstrum mortuum erat, habuitque pedes versus suram reflexos & à longe prospicientibus tanquam pedes porcini incurvati apparebant, habuit etiam magnum vulnus tumidum & apertum sed non cruentatum. Dicta obstetrix præfatum monstrum visu horribile supra suas receptum manus viro prædictæ parientis ad maiorem etiam ipsius confusionem & horrorem, ne consimilem violentam rapinam Monasterio B. MEINULPHI de cetero inferre præsumeret, celeriter ostendens ait in hæc verba: *Cerne puerum tuum, isti namque sunt porci, quibus Monasterium B. Meinulphi spoliasti.* Qui magno percussus horrore & pudore confusus monstrum istud satis horrendum ab oculis suis auferri mandavit. Justum namque fuit, ut qui porcos à Monasterio violenter abstulit, eosdemque vulnerando interfici fecit, puerum mortuum & monstrosus vulneratumque ac cum pelle porcina connectum per Uxoribus suæ partum recipere mereretur. Pius insuper Dominus DEUS in se sperantes nunquam deserens, ne supra dicti Regulares sibi fideliter servientes in esu carniū (quibus spoliati fuerunt) in quoquam deficerent, sua pia ordinatione fecit, ut statim post dictam spoliationem ipsis de abundantia carniū mirabiliter provisum fuerit, ita, ut majus gaudium habuerint, quàm dolor fuerat, quem antea de sua violenta spoliatione conceperunt. Ad augmentum etiam hujus gaudij antedictus porcorum spoliator (cetera licet protervus) sibi tamen metuens, ne majori confusione propter dictam spoliationem perfunderetur, eosdem porcos Regularibus persolvebat. Insuper & utilitas non parva, quæ ob prædictam spoliationem sæpè obvenerat Monasterio, talis erat: nam propter supra dictum monstruosum partum quasi tota Patria in tantum timore perterrita fuerat, ut nonnulli Militares Diæcesis Paderbornensis, ne simile opprobrium suis Uxoribus eveniret, violentam manum in dictos Regulares mittere verebantur.

C A P U T XXIII.

De sexto Priore Monasterij B. Meinulphi in Bøddecken.

Sextus præfati Monasterij Prior Venerabilis erat Pater Arnoldus Hüls ex devotis parentibus originem ducens, qui cordialiter Domino DEO inhærebat, ac Mater ejus viduata ipsa cum sacris Virgi-